

jori evidentes sunt. Minor autem probatur imprimis auctoritate Commentatoris, 2 Physic., text. 48, et D. Thom., 1 part., quæst. 19, a. 3 ad 5; deinde ratione, tum quia quamdiu causa est indeterminata, non est cur magis hunc effectum determinatum quam alium efficiat; tum etiam quia talis causa non est plene in actu, sed est in potentia, et ideo ab illa, ut sic, non est determinatus effectus. Tum præterea quia omne quod quandoque est agens actu, quandoque in potentia, indiget moveri ab alio, et ideo promovendum est ad moventem, qui sit purus actus: talis autem est voluntas libera creata, ut interdum sit in potentia, quandoque in actu; ergo revocanda est in Deum ut in primum moventem.

15. *Prima confirmatio.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Ultima.* — Confirmatur primo hæc ratio, quia nisi Deus suo influxu ita præveniat causam liberam, sequitur omnes actus liberos fortuito et contingenter evenire respectu Dei. Consequens est falsum, et contra debitum ordinem divinæ providentiæ, et contra ejus perfectionem, quæ non permittit ut casus et fortuna in Deum cadant. Sequela probatur, quia si Deus non ita prævenit voluntatem creatam, ejus libera determinatio non pendet ex divina voluntate et providentia, sed ab ipsa voluntate se libere determinante; ergo talis determinatio semper erit contingens, et casu ac fortuito eveniet respectu Dei. Confirmatur secundo eadem ratio, quia alias Deus non esset prima causa determinationis liberæ voluntatis, quod est absurdissimum, quia illa determinatio est aliquid in rerum natura: quidquid autem est aliquid, est a Deo ut prima causa; ergo. Sequela probatur, quia, si Deus non prædeterminat voluntatem, ergo determinatio ejus non est a Deo, sed a voluntate primo et per se applicante se ad operandum, prius natura quam Deus in illam influat. Confirmatur tertio, quia libertas creata ita subordinatur divinæ, ut, formaliter loquendo, in divinam libertatem et voluntatem, tanquam in causam primam physicam reducatur, etiam in genere physico, juxta doctrinam D. Thom., 1 part., quæst. 19, art. 8, ibi a Thomistis communiter receptam, ut Ledesma allegat; ergo necesse est ut operatio etiam voluntatis liberæ sit a Deo, ut præmovente libere, ut inde habeat voluntas creata libertatem suæ determinationis. Confirmatur ultimo, quia vel voluntas humana determinat divinam ad hunc particularem effectum, vel e converso. Primum dici non potest; ergo secundum, quia non est medium, alias utraque

æque primo se determinaret, quod est contra divinam perfectionem, et esset quasi casuale et fortuitum. Probatur minor, quia illa etiam est imperfectio divinæ voluntatis; penderet enim a creata, et ab illa modificaretur concursus ejus.

16. *Ultima ratio in actibus supernaturalibus.* — Ultima ratio affertur, quæ maxime videtur actibus supernaturalibus congruere, quamvis ab aliquibus etiam ad bonos actus morales ordinis naturalis accommodetur, sumiturque ab inconvenienti, quia initium talium actuum, sive fiant ante habitum, sive ex illo, sumendum est a præmotione Dei, quæ in voluntate præcedat, et physice actum efficiat, quia alias primum initium piæ operationis esset ex nobis, nam homo esset qui primo illam inciperet. Consequens autem est contra definitionem fidei; ergo. Sequela probatur, quoniam si voluntas, affecta habitu infuso, sine præmotione Dei posset uti illo habitu et innata sua libertate, jam ipsa voluntas primo inciperet actum illum, ac proinde ab illa esset initium salutis quoad talem actum. Minor autem et falsitas consequentis probatur. Primo ex Concilio Arausicano, can. 25 dicente: *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamus; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui inspirat.* Secundo, ex Concilio Senonens., in principio, dicente: *Accedentem ad Deum oportet primum divinæ gratiæ munere adjutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis et liberum arbitrium operatur, et gratia, primo tamen, et principaliter gratia. Quare qui hominem bene operari et salutem consequi arbitratur sine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.* Tertio, quia alias aliquid proprium haberet homo in negotio salutis quod non accepisset ex gratia, contra illud Pauli, 1 ad Corinth. 4: *Quid habes quod non accepisti?* Sequela probatur, quia voluntas, quod actu operetur, non habet ab habitu supernaturali, quia solus habitus non dat voluntati quod infallibiliter operetur, sed solum ut possit operari, si velit. Concursus etiam Dei, licet sit ordinis supernaturalis, non tribuit efficienter voluntati quod operetur, nec facit illam incipere, sed concurrat cum illa simul ad actualem operationem, si ipsa voluerit operari; ergo quod voluntas operetur, habebit ex seipsa, et non ex gratia, quod dici non potest.

CAPUT XXX.

QUID SIT CONCURSUS PRÆVIUS, ET QUOD MUNUS EJUS
OB QUOD NECESSARIUM ESSE CREDITUR.

Non possumus de prædicta sententia ferre iudicium, nisi prius sensus illius exacte intelligatur. Unde, quia in illo explicando defensores ejus non conveniunt, nonnullis interrogationibus seu dubitationibus propositis, illum inquirere necessarium duximus.

1. *An concursus ille prævius sit aliquid creatum.* — *Ostenditur esse.* — Prima interrogatio est, an hic concursus sit aliquid creatum, necne? Sed in hoc puncto non invenio controversiam inter dictos auctores. Nam licet aliqui dicant Deum movere causam secundam per voluntatem suam immediate, et ipsammet volitionem Dei vocent motionem vel applicationem causæ secundæ ad agendum, illud non potest intelligi de motione qua causa secunda movetur formaliter, sed de motione effectiva, per quam influit Deus in creaturam, quæ proprie non est concursus ipse formalis, sed concursus principium, quo Deus effective influit in creaturam: nam illud principium increatum est, sive dicatur esse in Deo per modum virtutis activæ, sive per modum actionis immanentis, et virtualiter transeuntis. Hic autem loquimur de influxu qui, juxta hanc sententiam, ab hoc principio increato manat in causam secundam, prius natura quam agat. Et hoc necesse est esse aliquid creatum. Primo, quia fit a Deo in ipsa causa secunda. Secundo, quia per illum movetur physice et realiter ipsa causa secunda; supponit enim illa sententia causam secundam non posse agere nisi motam: non movetur autem formaliter per volitionem Dei increatam, ut per se notum est, nam per illam non se habet formaliter causa secunda aliter quam prius; ergo per aliquam mutationem intrinsecam, quæ in illa de novo fit, movetur; ergo motio prævia necessaria est aliquid creatum.

2. *An concursus prævius generalis sit idem in omnibus causis et quoad omnes effectus.* — *Ratio dubitandi.* — Secunda interrogatio est, an hic prævius concursus generalis primæ causæ sit ejusdem rationis in omnibus causis secundis, quoad omnes effectus et actiones earum, vel in eis varietur, et quo modo. De concursu enim comitante et simultaneo diximus supra, et est per se evidens, multiplicari et dis-

tingui pro varietate actionum causarum secundarum, quia et est idem cum ipsa actione causæ secundæ, et ad eundem terminum tendit. Non procedit autem hæc ratio eodem modo in concursu prævio, si detur, nam ille distinguitur, ut statim dicam, ab actione causæ secundæ, et est aliquo modo principium ejus. Unde non respicit actionem causæ secundæ tanquam terminum, proprie loquendo, sed tanquam actionem a se emanantem, et terminum illius actionis respicit tanquam effectum. Unde non oportet quod ab actionibus causarum secundarum vel terminis sumat distinctionem, nam poterit esse eminentius quoddam et quasi universale principium plurimum et variarum actionum. Explicatur, supponendo præmotionem illam esse qualitatem; nam consequenter dicendum, esse qualitatem activam, quæ ex sua natura et particulari modo est propria virtus instrumentalis causæ primæ, ut prima causa et universalis est; ergo licet sit in se unius simplicis entitatis et speciei, potest esse universale principium per quod causa prima, cum omnibus causis secundis, ad omnes earum actiones, quantumvis distinctas, operatur, et pro voluntate ejusdem primæ causæ illas determinat vel applicat ad varias actiones pro causarum secundarum varietate. Idemque dici poterit de illo concursu, etiamsi fingatur ut pura motio, quæ dicitur esse motio virtuosa: unde in suo genere poterit habere virtutem illam cum dicta eminentia et universitate.

3. *Varium et diversum esse volunt illius auctores.* — Nihilominus defensores illius sententiæ, licet interdum magnam et eminentem virtutem tribuant illi motioni, ita ut sola possit aliquando supplere principium activum proximum causæ secundæ, si illi deest; nihilominus in præsentem non ita sentiunt, sed hunc concursum variari significant juxta causarum secundarum in suis virtutibus et actionibus varietatem. Et imprimis negari non potest quod talis influxus in causam spirituales vel materialem genere distinctus sit; nam est quoddam accidens quod in re corporea materiale est, in re vero spirituali spirituale, neque hoc majori probatione indiget. Deinde non minus certum est influxum in causam secundam, verbi gratia, voluntatem, ad actum naturalem vel supernaturalem distingui, etiam in esse entitatis, seu qualitatis naturalis aut supernaturalis, quia ad naturales actus non est per se necessarius influxus prævius supernaturalis, nec ad actus supernaturales sufficere potest

concursum ordinis naturalis etiam prævius, supposita generali necessitate talis præviæ concursus, quia talis motio prævia ponitur, vel ad elevandam potentiam, vel ad determinandam, vel ad applicandam illam; motio autem mere naturalis non potest vel elevare, vel determinare, vel applicare naturalem potentiam ad actum supernaturalem, ut videtur per se notum.

4. *Diversificatur specie pro diversitate causarum ad quas datur.* — Denique hinc verisimilius dici videtur in illa sententia hanc motionem multiplicari secundum speciem, pro diversitate causarum secundarum quibus tribuitur, quia unicuique datur ad illam determinandam, seu applicandam ad suum determinatum effectum, et ideo magis consequenter dicitur dari motionem, quæ ex sua specie et natura illam determinationem habeat, quam quod ex sola voluntate Dei determinetur, vel applicetur ad hunc vel illum effectum. Illud autem quod dicti auctores de hoc prævio concursu dicunt, de se aptum esse ad supplendam totam activitatem principii proximi causæ secundæ, esseque ejusdem rationis quando supplet defectum principii proximi, et quando supponit illud, solumque illud ad operandum applicat, difficile creditur est, ut supra, tractando de actibus supernaturalibus qui sine habitu fiunt, tactum est, et in sequentibus magis ostendetur. Habet etiam peculiarem difficultatem, an hic concursus datus causæ naturaliter agenti, et datus causæ liberæ, ejusdem vel diversæ rationis intelligendus sit, de quo puncto in cap. 41 dicam.

5. *An hic concursus prævius determinatus ea se sit tum ad speciem, tum ad individuum actionis.* — Tertio consequenter interrogari potest an hoc auxilium prævium determinatum sit ex se, non solum ad speciem actionis et effectus causæ secundæ, sed etiam ad individuum actum et effectum. In quo puncto, prædicti auctores sentiunt necessarium esse ut talis prævius concursus detur determinatus ex se ad individuum effectum et actionem. Ita docet Alvarez, disp. 49, concl. 3, ration. 2, ubi inde probat hoc auxilium non esse habitum, quia habitus est de se indifferens ad plures actus individuos: hoc autem auxilium est determinatum ad unam numero operationem. Et idem repetit ad solut. 6; consentit Ledesma, dicta quæst. unica, art. 2, ad 6, ubi ait voluntatem determinari per auxilium hoc prævium ad singularem operationem. Et videntur hi auctores in sua sententia satis consequenter

loqui, quia ponunt hanc præviæ motionem ut prædeterminet causam secundam ad operandum. At in causis naturali necessitate agentibus, non est necessaria prædeterminatio ad speciem actionis, quia illæ sunt de se satis determinatæ ad speciem actionis. Indigent autem determinatione ad individuum effectum, quia quoad hoc sunt indifferentes; ergo recipiunt hanc determinationem per hunc prævium influxum; ergo necesse est ut ipse influxus non sit de se indifferens, sed determinatus ad individuum, alias ipse indigeret prædeterminatione, et in infinitum procederetur. In causis vero liberis, hæc motio prædeterminat potentiam non tantum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium actus: exercitium autem actus non potest esse nisi in individuo; ergo talis motio, prædeterminans potentiam ad exercitium actus, necessario illam debet determinare ad actum individuum. Ergo multo magis ipsa motio debet esse determinata ad individuum, ne ipsa alia determinatione indigeat.

6. *Hinc fit numero multiplicari pro numero effectuum.* — Unde videtur in hac sententia consequenter dicendum, hanc motionem numero multiplicari et distingui, non tantum in causis numero distinctis, sed etiam in eadem causa plures actiones vel effectus numero diversos producente, quod est manifestum quando illæ actiones successive fiunt, quia prævius concursus ad unamquamque illarum solum determinat, quando unaquæque actio durat: ergo variatur numero concursus prævius, prout actio variatur. Ergo semper concursus prævius datur ex se determinatus ad illam numero actionem quam facit, et cum qua sola durat. Idem autem erit consequenter dicendum etiamsi causa secunda plures actiones numero distinctas simul faciat, ut facilius contingit in actionibus transeuntibus, verbi gratia, in igne simul calefaciente plura ligna: nam actiones numero multiplicentur in subjectis recipientibus illas; ergo et concursus prævius ad illas erunt distincti, quia unusquisque est determinatus de se ad unam tantum actionem singularem; et ideo cessante una illarum, et non alia, cessabit concursus prævius, qui ad unam, non vero ad alteram datus fuerat.

7. *Difficultas ex causis liberis.* — Hæc ergo omnia consequenter dicuntur in illa sententia, neque in illis peculiarem difficultatem aut repugnantiam invenio, præter eam quæ est in liberæ voluntatis prædeterminatione ad

unum, de qua in c. 31 aliqua, et plura in libro 5 dicturi sumus. Hic solum adverte, propter solam determinationem causæ secundæ ad singularem actionem et effectum non esse necessarium concursum prævium, nam per concursum concomitantem sufficienter id fieri potest, ut in l. 1 de Auxiliis, c. 7, notavi et ostendi. Et aperte concedit Ledesma, art. 2, ad 6, dicens quod auxilium sufficiens determinatur per auxilium concomitans ad singularem operationem. Et ratio est, quia causa secunda nullum singularem effectum potest agere sine concursu Dei concomitante, seu simultaneo: potest autem Deus hujusmodi concursum limitare ad unum effectum individuum; ergo id satis erit ut actio causæ secundæ ad eundem determinetur. Unde fit, propter hanc solam determinationem non esse necessarium, concursum prævium illum esse determinatum ex natura sua ad unam tantum individuum actionem, quia licet esset indifferens de se ad plures, posset per simultaneum concursum determinari, et ita cessaret processus in infinitum: nihil ergo certum posset quoad hanc partem de tali concursu prævio affirmari, licet (ut dixi) illo semel posito, tota illa multiplicatio et determinatio talis concursus illi opinioni satis consentanea sit, et ostendi non possit involvere repugnantiam. Superfluum tamen erit tot multiplicare concursus, seu motiones, nisi earum necessitas clara ostendatur.

8. *An iste concursus prævius fiat a solo Deo.* — Quarto, interrogari potest an hic concursus prævius fiat a solo Deo, vel etiam ab ipsa causa secunda. Hæc vero interrogatio in causis agentibus actione transeunte nullam habere potest controversiam, ut statim dicam. De potentiis autem agentibus actione immanente, aliqui sensisse videntur hanc præviæ motionem non fieri a solo Deo, sed ipsam etiam potentiam quæ illam motionem recipit ad illam cooperari efficiendam, quod sentire videntur, qui hanc præmotionem ab ipso actu vitali potentiæ in re ipsa non distinguunt, ut statim videbimus. Sed hic modus dicendi involvit repugnantiam in eadem sententiam, ejusque fundamenta destruit. Dicendum est ergo consequenter in illa sententia, hanc motionem a sola prima causa fieri in secunda. Probat, quia causa secunda non affecta hac prævia motionem, non est satis applicata, vel determinata ad inchoandam aliquam actionem; ergo non potest influere in actionem qua

fit vel in qua consistit hic concursus prævius, cum juxta eandem sententiam non efficiat nisi jam applicata, vel determinata.

9. *Probat a solo Deo fieri in causa secunda.* — Item causa secunda non movet nisi mota, ut supponitur; ergo non se movet in illa prima motionem per quam a causa prima movetur ad agendum; ergo non efficit illam motionem; nam si illam efficeret, se moveret per illam, saltem physice; ergo Deus solus illam motionem efficit. Item hæc motio supponitur esse prævia et prior natura omni causalitate vel actione causæ secundæ, et consequenter supponitur esse aliquo reali modo causa et principium ejus, ut statim explicabitur; ergo impossibile est ut fiat ab ipsa causa secunda, quia non potest esse causa actionis causæ secundæ, et terminus vel effectus ejus, neque potest esse simul prius et posterius natura, et in genere efficientis causæ. Item quia in agentibus per transeuntem actionem hæc motio non potest esse effective ab ipsis, quia illa non agunt in se, præsertim ante transeuntem actionem, ut est per se notum. Quis enim dicat calorem, prius natura quam calefaciat lignum, agere in seipsum, actuando et citando, vel alio modo movendo seipsum? Nemo certe id potest probabiliter cogitare, repugnatque principiis illius sententiæ; ergo si in his agentibus datur prævius concursus, a solo Deo in illis fieri debet. Ergo idem dicendum est de agentibus actione immanente, nam est eadem ratio. Tum quia necessitas hujus præviæ concursus fundari dicitur in generali ratione causæ creatæ, quod non potest incipere aliquid agere nisi præmotum. Tum etiam quia ipsa ratio præviæ concursus excludit efficientiam ejus a causa secunda, quæcumque sit, quia si illa efficit illum concursum, etiam Deus facit illum concursu cooperante non prævio. Tum denique quia si in intellectu, verbi gratia, concursus prævius fieret ab intellectu, actio illius esset immanens, et sic non posset in re distingui ab actu intelligendi, quod dici non posse consequenter infra dub. 7 declarabo, et plura de hoc puncto erunt necessario dicenda infra in c. 33, et in lib. 5.

10. *In quo subjecto immediate recipiatur ille concursus.* — Quinto, interrogari potest in quo subjecto proxime et immediate recipiatur ille concursus prævius. In quo dicti auctores sentiunt imprimis recipi in ipsa causa secunda. Quia vero inter causas secundas quædam agunt actione transeunte, quæ non est in ipsis, sed in passo recipitur; aliæ vero actione manente in

ipsis; in prioribus id non indiget explicatione; recipi enim debet illa motio in ipso agente, ut constituto in actu primo prius natura quam agat; in posterioribus autem, quia idem est agens et recipiens actionem et terminum ejus, cum proportione id intelligunt de ipso agente, ut agens est, id est, ut præsupponitur in actu primo, prius natura quam ab illo actio egrediatur et a fortiori prius natura quam in illo recipiatur. Unde consequenter etiam dicunt proximum subjectum in quo recipitur talis motio, esse ipsammet potentiam seu facultatem activam permanentem in causa secunda, quæ est principium proximum actionis ejus; ut, verbi gratia, lucem solis esse subjectum proximum in quo recipitur concursus prævius ad illuminandum, et calorem ignis ad calefaciendum, voluntatem ad volendum, et habitum charitatis ad amandum super omnia, et lumen gloriæ etiam recipere in se novam motionem vel entitatem per quam moveatur ad eliciendam visionem, et sic de cæteris; quia illud principium, *Causa secunda non movet, nisi mota*, formaliter intelligitur de motione, qua ipsummet agendi principium aliquo modo mutetur et amplius actuetur.

11. *Difficultas in assignando illo subjecto, quando principium proximum agendi causæ secundæ non est unum aliquid simplex, sed est pluribus compositum.* — Contingit autem proximum principium agendi causæ secundæ non esse unam simplicem qualitatem, sed coalescere ex multis, ut principium visionis ex visu, et specie, et fortasse ex lumine. Unde dubitari potest in illa sententia, an tunc causa secunda recipiat unum simplicem concursum prævium, vel plures quasi partiales, quasi constituentes unum; videtur enim inconueniens tot motiones multiplicare. Nihilominus tamen, consequenter loquendo, illud etiam declarandum est, quia una simplex entitas non potest immediate recipi in visu, et in specie visibili, et lumine; unumquodque autem istorum principiorum indigebat sua motione et ultima actualitate a prima causa, quia non est major ratio de uno, quam de alio; sicut etiam duo lumina concurrant ad eandem indivisibilem illuminationem, licet concursus simultaneus sit unus in actione imbitus, concursus prævius multiplicandus erit juxta numerum principiorum seu luminum agentium.

12. *Explicatur illa difficultas et urgetur.* — *Hinc sequitur nullam esse potentiam pure activam, cum omnis sit receptiva virtutis per quam in esse potentiæ compleatur.* — E contrario

vero, si ab eodem calore ignis prodeant simul calefactiones in plura combustibilia, cum sit clarum concursus simultaneos multiplicari juxta numerum actionum transeuntium, dubitari potest an concursus prævius sit unus et simplex, an vero etiam ille multiplicetur. Nam in hoc dicti auctores varie loquuntur, et facile possunt argumenta pro utraque parte fieri; sed supervacaneum duco in hoc immorari, nam, supposito illo principio, parum refert sic vel aliter, in his illationibus et aliis similibus quæ facile excogitari possunt, opinari. Solum hæc propono ut considerentur hæc et alia hujusmodi, quæ ex illa positione sequuntur. Nec omitam ulterius adducere, juxta illam sententiam consequenter dicendum esse, nullam esse potentiam activam creatam pure activam, id est, quæ, simul et quoad modum, prius passiva potentia non sit. Quia omnis potentia quæ intrinsece potest mutari, in se aliquid recipiendo, est passiva; nihil enim aliud est esse potentiam passivam, nisi esse potentiam capacem recipiendi aliquid: hoc autem habet omnis virtus activa creata, quia est capax illius præmotionis divinæ quam in se recipit, ut agat. Ergo est potentia passiva, secundum quam prius actuari debet, quam vim suam activam possit exercere, quia non potest movere nisi mota: ergo prius (ut sic dicam) est mobilis quam principium movendi; et hoc modo dicimus prius esse potentiam receptivam, utique quoad reductionem in actum. Atque ita non solum potentiæ animæ, sed omnes potentiæ naturales, calor, lux, et similes, sunt potentiæ passivæ; imo non solum potentiæ, sed etiam habitus, vel infusi, ut charitas, fides, lumen gloriæ, vel acquisiti, quatenus efficere possunt, receptivi prius sunt. Neque solum habitus, sed etiam actus ipsi secundi potentiarum animæ non sunt ultimi, sed potentiam passivam in se habent, quatenus unus actus esse potest verum principium physice efficiens alius, sicut est assensus principii assensus conclusionis, et intentio finis electionis medii; nam si efficiunt indigent concursu Dei; ergo et præmotione, sicut aliæ causæ secundæ. Hæc ergo omnia, quamvis a dictis auctoribus expresse non doceantur, necessario ab eis admittenda sunt, quia per necessariam illationem inferuntur. Quod si hæc difficulta videntur, et contra communem sensum Philosophorum loquentium de virtutibus pure activis, et de habitibus et actibus secundis, respondebunt dicti auctores illam communem doctrinam intelligendam esse de

potentiis activis et passivis, in ordine ad actiones et passiones causarum secundarum inter se, non vero in ordine ad motionem generalem primi moventis, nam respectu illius omnis actus creatus est mobilis, et consequenter est aliqua potentia passiva.

CAPUT XXXI.

QUOMODO PRÆVIUS CONCURSUS A POTENTIA, IN QUO RECIPITUR, ET AB EJUS ACTIONE DISTINGUATUR.

1. *An concursus prævius realiter distinguatur ab actione potentiæ ad quam datur.* — *Varia sententiæ.* — Sexta interrogatio de hoc concursu est, an hæc præmotio sit res distincta ab actione et potentia in qua recipitur, et quam determinare seu applicare dicitur, vel quo modo ab ea distinguatur. Nam quod sit aliquid in re ipsa distinctum a sua potentia, nullus defensor illius sententiæ negare potest, quia fit in potentia illa per novum influxum Dei realem et per realem mutationem ejusdem potentiæ; ergo est aliquid distinctum in re ab eadem potentia, et illi de novo additum. De modo autem distinctionis videntur dicti auctores varie loqui. Nam quidam asserunt hunc prævium concursum tantum formaliter distinguere a voluntate, vel alia potentia in qua recipitur. Ita sentit Cebesudo, d. q. 62, art. 5, dub. 1, ad 3; ait enim influxum qui recipitur in causa distingui ab illa et operatione illius tantum formaliter, sicut modus rei distinguitur ab ipsa re; et simili modo distingui influxum receptum in effectu, ab ipso effectu. Sed in his verbis videtur involvi repugnantia; nam voluntas et operatio ejus distinguuntur inter se realiter; quomodo ergo potest ille influxus ab utraque distingui tantum formaliter? Nam idem modus non potest identice inesse duabus rebus realiter inter se distinctis. Item operatio causæ secundæ pertinet ad effectum ejus, vel in via, vel in termino, prout nomen operationis sumptum fuerit; ergo influxus in causam non est modus ipsius operationis. Omissa autem hac parte, in altera videtur cum illo auctore convenire Ledesma, art. 1, concl. 2, ration. 1, § *Aliqui auctores*, ubi, sub disjunctione, dicit prædeterminationem esse entitatem realem, vel saltem modum entitatis realis; et in art. 7, ad 1, definite dixit esse quemdam modum voluntatis. Fundamentum esse potest, vel quia illa distinctio sufficit, et non oportet multiplicare entitates, vel quia ille concursus est tantum quædam motio, et motio

solum est quidam modus rei motæ, nec enim oportet motum a mobili realiter distingui, ut ex philosophia constat.

2. *Difficultas adversus illos qui solum distinctionem modalem ponunt.* — Hic tamen modus dicendi parum credibilis videtur, supposita illa sententia, et præsertim loquendo de auxiliis gratiæ. Nam isti auctores in hac motione ponunt maximam gratiæ efficaciam, et illam putant esse potissimam virtutem, seu virtuosam motionem supernaturalium actuum effectricem; ergo fateantur necesse est illam esse entitatem supernaturalem sicut sunt ipsi actus; ergo oportet ut sit entitas, et non tantum modus additus voluntati. Atque hæc ratio potest cum proportione extendi ad cæteras causas et virtutes earum naturales: nam hæc motio dicitur esse rerum principium, per quod omnis causa secunda et ejus potentia efficit suum effectum, ut paulo post dicemus; at solus modus non dat per se virtutem agendi. Præterea ostendemus statim ipsum concursum non posse intelligi sine impressione alicujus qualitatis, quia nec potest esse sine termino intrinseco proximo, neque alius potest cogitari: qualitas autem, extra figuram, non est modus, sed res habens propriam entitatem, alias etiam de specie impressa dici posset tantum esse modum, et actum videndi vel appetendi tantum esse modum potentiæ. Quapropter, si concursus ille prævius judicatur necessarius, multo facilius et intelligibilius ponitur ut quædam entitas addita potentiæ ad magis actuandam illam, quia nec in calore, nec in luce, vel similibus qualitibus, concipi satis potest novus modus sine mutatione in intrinseco, et in formali effectu quem subjectis suis præbent. Multoque minus intelligitur talis mutatio in voluntate et similibus potentiis in se indivisibilibus, et naturali quodam et immutabili modo animam afficientibus. Quapropter, supposita necessitate illius concursus, negandum est sufficere modum; quia ad mutationem talium potentiarum, quæ tantum fit recipiendo aliquid novum, necessarium est aliquam entitatem seu formam illis imprimi. Nec refert quod ille concursus sit motio, tum quia non est pura motio sine termino, ut dicemus, tum etiam quia omnis motio non est idem cum mobili, sed tantum motus localis: alteratio enim distinguitur realiter a mobili, sicut et terminus ejus: hæc autem motio, si quæ est, non est localis motio, ut constat; est ergo alteratio, vel cum illa proportionem servat.